

1312 tiens, urbem postridie oppugnare velle. Inde fidissimo cuique amicorum communicato consilio, edicit ut preciosissima quæque in pugnam exeuntes secum quam occultissime asportarent, adessentque ibi in prima acie, ut quum transitio facienda esset, nemo in mora esse posset. Postero die eductis copiis atque ad urbem admotis, quum starent equites signum expectantes ut urbem oppugnatione adorirentur, ipse velut aliquid provifurus, cum suis hostium munitionibus adequitans, stupentibus novitate rei Venetis, ingenti oppidanorum alacritate urbem est ingressus. Defixit omnium animos, ut dixi, subita Dalmatii transitio, ac metus ingens a perfido homine desertore incessit. Confestim igitur, ne aliquam majorem cladem acciperent ( nam periculum erat, ne una ex oppido & his castris, quæ non procul ab urbe Bannus habebat, repentina aliqua fieret eruptio ) equitatus ad naves se trepide recepit. Dalmatius ubi ad hostes venit, ne omnino transfuga haberetur, sed causam fuisse ostenderet, qua ad defectionem adduci potuisset, pacis arbitrum inter Venetos Dalmatasque se non multo post agere cœpit. Cui rei quum aliquandiu studuisset, nec propter conditio-nes, quæ hinc inde proponebantur, quicquam transfigi posse cerneret, cæterum se & Venetis ut desertorem invisum, oppidanis vero suspectum intelligeret, pacis actio-ne deposita, ne cum periculo illic diutius esset, naves ex fœdere acceptas in Appuliam transmissurus ascendit. Et jam altum tenebat, quum fœda tempestate coorta, altis fluctibus primo jactatus, inde transversa classe scopulis impacta, rebus & locis amissis, suæ perfidiæ meritas luit Veneto nomini pœnas. Ipse naufragus, quum omnia sibi infesta circumspiceret, post res perditas ne vitæ discriminem adiret, haud multum vicinis littoribus cunctatus, parvum adeptus navigium fugienti similis in Italiam trajecit. Brevisimus Marini Principatus efficit, ut credam, Jaderensem obsidionem nihil interea remisisse: sed ad deditio-nem usque, quam sub ipsam Superantii Principis declarationem factam reperio, in obsidenda urbe a Veneto persevera-tum: